



Sebastianus Saxo à pueris operam literis dedit, & primis fundamentis factis se ad celebrem tū Academiam Erdfurdiensem contulit. Ibi diligenter sacro studio incubuit, & Theologiæ Doctor creatus fuit. postea quoq; canonicus & concionator in summo templo Diuæ uirginis constitutior, an no circiter 1505. Cum hoc modo Sebastianus sacræ libris explicandis inhæreret, & sacerdotum impuram uitam consideraret, multoties cleri ignauia & turpitudinem insectatus est, dicens: Si spirituales esse ac dici uultis, ducite etiam spiritualem uitam. Damnavit etiam pontificis indulgentias, quæ anno millesimo quingentesimo octauo Roma erant altatæ, & reprehendit satisfactiones alienas, atq; eos qui pecunia aliorum bona opera emere solebant. Crebrò etiam solitus est prædicere correctionem seu reformationem religionis & Ecclesiæ. Ob tales eius conciones incidit in summum sacerdotum & senatus odium, cum alioqui à studiosis & ciuibus diligenter audiretur, ab eisq; in exilium actus fuit. Vnde Sebastianus suam formam patienter tulit, & aliquandiu Magdeburgi exulauit. Postea uero rursus Erdphordiam redijt, & cum suo exemplo cæteros ad uirtutem adhortatus esset, tandem ibidem obijt, & sepultus fuit. Math. Illyr. in catal. test. ueritatis.